

Nisi vel conditio personæ sit talis, ut Usus locari soleat, veluti contingit in Usu equorum, aurigæ concessio, qui solet equorum Usus locare d. l. plenum 12. §. 4. vel conditio rei sit talis, ut absque locandi facultate Usus sit inutilis, sicut si sylva nimium distans, aut bibliotheca homini illiterato quoad ulum legatur l. Divus Hadrianus 22. in pr. ff. eod. Stryek ad eund. tit. §. 2. Lauterb. §. 7. D. Franz ad Inst. eod. p. 1. n. 7.

198 Dixi IV. salva illarum substantiâ. Et hinc usufructarius, æquè ac fructuarius, cautionem præstare debet, quod velit uti re, arbitratu boni viri, eamque, Usu finito, restituere l. huic stipulationi §. 1. ff. Usufructuar. quemadmod. cav. Harpprecht ad princ. Instit. de Usu num. 10.

199 Habitatio est Jus, alienas ædes inhabitandi, & omne commodum ex illarum habitatione percipiendi. Textus in §. sed si cui §. Inst. de Usu & Habitat. Convenit igitur in plerisque Usus & Habitatio l. si habitatio 10. in pr. ff. d. 1.

200 Vinnius part. fur. lib. 1. cap. 78. Disconvenit autem in eo, quod Habitatio sit pinguior & fecundior, quam Usus: nam, cui relicta est ædium Habitatio, potest vel per se vel per alium inhabitare, & ædes separatim pro mercede locare d. §. sed si cui l. cum antiquitas 13. Cod. de Usufructu.

201 Dixi: omne commodum ex illarum habitatione percipiendi. Ut distinctionem inter Habitatio-

tionem & Usufructum ædium attingerem. Nam Habitatio tribuit quidem omne commodum, quod ex ædium Habitatione percipi valet: Usufructus verò tribuit etiam emolumentum, quod aliis ex ædibus haberi potest, ut puta facultatem locandi horrea, vel cellas vinarias d. l. cum antiquitas 13. Cod. de Usufructu.

Si petas: an idem sit, domum ad inhabitandum legare; habitationem legare; vel legare facultatem habitandi?

Responsum negativum dat Harpprecht ad §. sed si §. Instit. de Usu & Habitat. num. 17. Nam in primo casu proprietas domus; in altero Servitus Habitationis; in tertio sola commoditas seu facultas personalis legata censetur per d. l. cum antiquitas 13. Cod. de Usufructu.

Verum quoad primum casum, huic Authori non possum assentiri: quoniam in cit. l. cum antiquitas Imperator diserte rescripsit, dominium habitantis non esse sperandum à legatario, nisi specialiter evidentissimis probationibus ipse legatarius possit ostendere, & dominium ejus domus sibi esse relictum: unde casum primum cum secundo coincidere puto.

Si ulterius roges: quibus modis Usus & Habitatio quærat & amittatur?

Resp. iisdem modis, quibus Usufructus princ. Instit. de Usu & Habitat. hoc excepto, quod Habitatio neque capitis minutione, neque non-usu perdatur l. si habitatio 10. in pr. ff. eod. Rationem exceptionis dabit Clariss. D. Franz ad Inst. cit. tit. p. 2. n. 4.

Si inles querere: quænam Juris remedia competant pro Usu & Habitatione?

Resp. illa competere, quæ pro Usufructu sunt prodita. Stryek in tract. de Actionib. sect. 2. membr. 4. §. 1.

SECTIO III.

De Servitutibus Realibus.

SUMMARI A.

206. Repetitur descriptio Servitutis realis. 207. Appellatur alius prædialis. 208. Requiritur duplex prædium. 209. & seq. Præsent aut futurum. 211. & seqq. Vicinum. 216. Habens causam perpetuam. 217. Ac humano commercio subiectum. 218. Servitus realis dividitur in rusticam & urbanam. 219. & seqq. Desumit suam denominationem à prædio, cui competat. 223. & seq. Ponitur explicatio contraria. 225. & seqq. Resoluitur. 229. & seqq. Ponitur utriusque Servitutis differentia. 233. & seqq. Adstruitur nomenclatura prædii rustici & urbani. 236. & seqq. Ad Servitutes Urbanas pertinet Servitus oneris servien-

di. 239. & seqq. Servitus signi immittendi. 242. & seqq. Servitus alius tollendi. 250. & seqq. Servitus luminis. 256. & seqq. Servitus propecllus. 259. & seqq. Servitus stillicidii & fluminis. 262. Servitus chace, proiciendi, sumi &c. 263. Notamen à factis ad emulationem. 264. Ad Servitutes rusticas spectat iter. 265. Actus. 266. Via. 267. & seqq. Distinctio harum Servitutum. 270. & seqq. Nonnulla objecta referuntur & reamendantur. 278. & seqq. Servitus aquaductus. 280. & seqq. Servitus pascendi. 286. Servitus compascui. 287. Servitus aqua hauritus &c. 288. & seqq. Jus aquam pluviam arcendi.

§. I.

De Natura Servitutis Realis.

206 Servitutum Realem ex eo derivari, quod utilitatem rei pro fine habeat, liquet ex

num. 16. & 18. Per finem autem intelligitur proximus & immediatus: nam finis med-

diatus & ultimatus est utilitas personæ, quæ detinet rem, jure Servitutis activò prædicam. Perez in Cod. ad tit. de Servitut. n. 1.

207 Vocatur alius Servitus rerum l. Servitutes 1. ff. de Servit. subinde Servitus in rem l. Gaius 12. ff. de Annis legat. læpius verò Servitus prædialis appellatur: quoniam (verba sunt Imperatoris in §. ideò autem §. Inst. de Servitut. prædior. & Jcti in l. adificia 1. §. 1. ff. Communia prædior.) sine prædiis constitui non possunt. Nemo enim potest Servitutum acquirere urbanis vel rusticis prædiis, nisi qui habet prædium.

208 Itaque requiritur ad Servitutum Realem I. prædium, & quidem duplex, dominans & serviens: dominans, cui debetur Servitus activè l. arbor 19. §. ult. ff. Communis divid. serviens, cui Servitus inhaeret passivè l. Servitutes 3. ff. de Servitut. Capolla tract. 1. de Servit. cap. 2.

209 num. 4. Interim ut prædium actualiter existat, haud requiritur: nam etiam futuro prædio Servitus acquiri potest, & imponi l. si

210 Servitus 23. §. 1. ff. de S. P. U. Quæ tamen acquisitio vel impositio non tam subsistit in vim juris in re, quam juris ad rem per l. interdicitum 73. in pr. l. existimo 98. in pr. ff. de V. O. quia Servitus cum jure in re supponit actuale prædium, cui tanquam accidens inheret per l. nihil dolo 129. §. 1. l. cum principalis 178. ff. de R. ff. Harpprecht ad cit. §. ideò 3. Inst. de Servit. n. 1. & seqq.

211 II. debet utrumque prædium esse vicinum per textum in l. ergo secundum §. §. 1. ff. de S. P. R. l. Metla 14. §. ult. in fin. ff. de Aliment. legat. adeo ut, si prædium unum ab altero sit nimis distitum, aut si prædium aliud intermediet, permulti, quos citat idem Harpprecht ad §. ult. Inst. d. 1. n. 17. putent, Servitutis constitutionem penitus invalidam esse.

212 Licet distinguendum esse censam, sitne distantia prædiorum, vel locus intermedius impedi-

mento, quò minus Servitus utilis esse possit, nec ne. Si primum; admittitur opinio, negans possibilitatem Servitutis; eoque sensu præcitati textus explicatur. Si se-

213 cundum; meliùs defenditur opinio, concedens Servituti possibilitatem; quâ ratione debet intelligi l. si quis 6. in princ. ff. Communia prædior. Unde Servitus aliùs non tollendi potest imponi ædificio non tantum vicino, sed etiam remotiori l. loci corpus 4. §. ult. l. & ideò 5. ff. Si Servit. vindic. quia ædibus Titii v. g. interim saltem, donec vicinus ædes non immutat, potest esse commodum & utile, quòd ædes remotiores nequeant altiùs ædificari. Econtrà si inter ædes meas & tuas intermediet tantum spatium, aut intercedat mons vel collis, ut ædes tue non possint à me conspici, Servitus altiùs non tollendi nequit ædibus tuis imponi l. si ades 38. ff. de S. P. U. quia non possum ex intermissa tuarum ædium altitudine sentire utilitatem. Conferatur Harpprecht cit. l. n. 17. & seqq. Manz de Servit. cit. 1. q. 6. à num. 264. D. Blumblacher de Servit. cap. 4. q. 2. n. 1. & seqq. Clariss. D. Franz ad cit. Inst. cit. n. 47.

III. debet prædium habere caulam perpetuam l. foramen 28. ff. de S. P. U. hoc est, sic comparatum esse, ut, quantum est ex se, possit in actu secundo semper utilitatem præbere, licet in actu exercitio contiuam utilitatem non conferat. Harpprecht d. l. n. 12. Manz de Servit. cit. 4. q. 1. n. 24. & seqq.

IV. debet prædium serviens esse commercio subiectum humano: nam fundus sacer, v. g. Ecclesia nequit onere Servitutis gravari per l. caveri 4. ff. Communia prædior. eò quòd domum DEI neque oporteat facere domum negotiationis, neque facere servam aut servientem. Cardinalis de Luca de Servit. dist. 6. 17.

§. II.

De Divisione Servitutis Realis in Urbanam & Rusticam.

218 Servitus Realis seu Prædialis dividitur in Urbanam & Rusticam. Quænam verò dicatur Urbana; quænam Rustica? Varia sunt Doctorum sentia, apud Manzium de Servit. tit. 1. §. 5. n. 23. expressa. Optimè sentiunt, qui denominationem Servitutis Urbanæ vel Rusticæ deducunt à qualitate prædii dominantis, adeo ut, si prædium dominans sit Urbanum, Servitus quoque nominetur urbana; sin prædium dominans sit rusticum, Servitus perinde rustica nuncupetur. Ita Vinnius select. quest. lib. 1. cap. 20. Capolla de Servit. tract. 1. cap. 11. n. 10. Harpprecht ad pr. Instit. de Servit. n. 28. & seq. Bückelman de Actionib. cap. 2. p. 4. num. 4. Lauterbach ad 206. eod. §. 3. D. Franz cit. l. n. 6.

219 Probatur hujus denominationis veritas partim ex l. Servitutes 1. ff. d. 1. ubi, cum Jctus divisionem Servitutis Personalis & Realis defumat ex subiecto cui, non obscure innuit, Servitu-

220 tis Realis subdivisionem in urbanam & rusticam ab eodem subiecto defumendam esse: partim ex eo, quòd una eademque Servitus 217, v. g. altiùs tollendi quandoque dicatur urbana §. prædiorum 1. Inst. de Servitut. quandoque dicatur rustica l. rusticorum 2. in pr. ff. de S. P. R. & vicissim Servitutis itineris v. g. que cæteroguin in §. inter rusticorum 2. Instit. d. 1. numeratur inter rusticas, in l. iter nihil 14. ff. Communia prædior. urbanis accenseri videtur. Cujus ratio non potest alia reperiri, nisi quòd Servitus de se neque rustica sit neque urbana, sed talis à prædio dominante nominetur, ac, si prædio rustico debeat, rustica; sin prædio urbano, urbana vocetur.

D. Blumblacher de Servit. cap. 1. quest. §. 223 num. 7. sententiam nostram eatenus probat, ut Servitus urbana vel rustica nomenclaturam trahat à prædio quoad popularem loquendi consuetudinem, non autem quoad

- effectus Juris, acquisitionem videlicet, con-
224stitutionem, & amissionem. Ratio,
quæ movetur, est: quia Servitus, quoad effe-
ctus Juris, magis est spectanda juxta naturam
& primævam originem, quàm quoad acci-
dentalem ipsius mutationem. At quedam
Servitutes sunt, quæ juxta naturam & origi-
nem primævam magis ad utilitatem prædiorum
urbanorum spectant; aliæ sunt, quæ
magis ad utilitatem prædiorum rusticorum
tendunt: & illæ quidem in l. 2. §. 4. ff. de
S. P. U. istæ verò in l. 1. §. 3. & 4. ff. de S. P. R.
à potiori enumerantur. Et hinc Servitus
magis spectabitur ex natura & origine, quàm
ex accidentali mutatione vel adjacentia
prædii.
- 225 Cum autem ex num. 221. pateat, Servitu-
tes urbanas & rusticas promiscuè sumi secun-
dum rationem prædii, cui inharerent; nec tan-
tùm quoad denominationem, sed etiam quoad
effectum Juris: eò quòd vocabula rebus
sint imposta propter effectum, quem rebus
tribuunt Jura: hinc verius arbitror, Servitu-
tem quomunque, quæ debetur urbano præ-
dio, urbanam esse, & quæ debetur prædio
rustico, rusticam esse, non solum nominete-
nùs, sed & reipsa cum omni Juris effectu per
226 l. si ego 11. §. 1. ff. de Publiciana in rem acti. Nec
impedit, quòd aliquando Servituti tum rusti-
cæ tum urbanæ suæ assignentur species ex
num. 224. hoc enim idèò contingit: quia
nonnullæ Servitutes sunt ita comparatæ, ut
magis debeantur prædiis urbanis quàm rusti-
cis, & vicissim; sicut ex eo, quòd aliquæ Ser-
vitutes magis utilitatem rei quàm personæ res-
piciant, frequentius appellantur reales quàm
personales ex num. 19. & seqq.
- 227 Ex quo
tamen haud licebit concludere, quòd Servi-
tus, quæ frequentius debetur prædio rustico
quàm urbano, non fiat urbana secundum Ju-
ris effectum, si prædio debeat urbano; sicut
ex eo, quòd Servitus una sæpius utilitatem
rei quàm personæ respiciat, concludere non
licet, quòd, si respiciat utilitatem personæ,
non fiat personalis secundum Juris effectum.
- 228 Pactis siquidem, ordinationibus, & conven-
tionibus hominum ea inest vis & efficacia, ut
regulare negotiorum naturam immutare,
atque in alienam speciem cum effectu Juris
convertere possint per l. pecoris 4. l. penult. ff.
de S. P. R. l. penult. ff. de Servitut. leg. l. certi
conditio 9. §. ult. ff. de R. C. l. Lucius Titius 24. ff.
De positi.
- 229 Ut verò manifestum fiat, quid interfit, an
Servitus reputetur urbana vel rustica, sciend-
um est, plures differentias inter Servitutem
unam & alteram assignari, uti apud cit. D.
Blumblacher num. 8. videre est; è quibus

certissima, & in liquidissima Juris sanctione
fundata est illa, quòd Servitus rustica solò
non-usu pereat; urbana non aliter extingu-
atur, quàm si dominus prædii servientis fa-
ctum Servituti contrarium posuerit, v. g. in
Servitute tigni immittendi foramen obstru-
xerit; in Servitute altius non tollendi ædes
altius sustulerit &c. l. hac autem 6. in pr. ff. de
S. P. U. l. si quis 18. §. ult. ff. Quomodo Servit.
amitt. Indeque resultat discrimin aliud, quòd
quòd in amittenda Servitute rustica per præ-
scriptionem ex parte domini prædii servien-
tis non sit opus bonâ fide; licet in amittenda
Servitute urbana per prescriptionem ex parte
domini prædii servientis bona fides maxi-
mè sit necessaria. Quia enim in Servitu-
231 tibus rusticis dominus prædii servientis solam
exhibere patientiam, nec dominum prædii
dominantis admonere tenetur, ut jure Servi-
tutis intra tempus à Lege constitutum
utatur, tamen notitiam constitutæ Servitu-
tis habeat, præscriptio sine peccato illius per-
ficetur. At quia in Servitutibus urbanis
232 dominus prædii servientis tenetur ponere fa-
ctum, Servituti contrarium, nec tamen, si
scientiam debetæ Servituti habet, Servitu-
tem per factum contrarium, salvâ conscientia,
impedire potest: hinc præscriptio cum
mala fide non potest absque peccato com-
pleri.

Jam indagandum superest: quodnam præ-
233 dium appelletur urbanum, quòdnam rusti-
cum? Vinnius d. lib. 1. cap. 30. prædia vocat
rustica, quæ ædificiis sunt vacua, nempe
in urbe area, horti; ruri ager per l. fundi 211.
ff. de V. S. urbana compellat omnia ædificia,
et si in villa sint ædificata §. prædiorum 1. Instit.
de Servitut. præd. l. ædificia 1. in pr. ff. Communia
prædior. Contra Vinnium turmatim eunt
234 DD. alii, ac prædium urbanum vel rusticum
ab usu & fine, ad quem destinatur, appellant,
ita ut, si usus & finis sit urbanus, qualis est in-
habitatio, negotiatio, voluptas, recreatio &c.
prædium quoque sit urbanum; si usus & finis
sit rusticus, qualis est stabulatio pecorum,
asseratio frugum &c. prædium sit rusticum
per textum in l. tugurii 180. in pr. l. urbana 198.
ff. de V. S. l. si prædium 16. Cod. de Præd. & aliis
reb. minor. in quibus prædium urbanum à ru-
stico non à loco vel situ, sed qualitate & ma-
teria circa quam seu usu distinguitur. Si
235 cut igitur usus urbanus denominat familiam,
servum, aut suppellestem l. quemadmodum
12. ff. de Suppellect. leg. l. urbana familia 166. in
pr. ff. de V. S. pariter usus urbanus prædium
denominat. Confer præ aliis Clariff. D. Franz
ad tit. Instit. de Servit. n. 9. ubi complures ob-
jectiones viriliter confutat.

§. III.

De Servitutibus Urbanis.

- 236 **EX** numero Servitutum, quæ frequen-
tibus prædiis urbanis debentur, est I.
Servitus oneris ferendi, quâ vicinus nostræ
tenetur onus ædium nostrarum in sua area,
colum-

- columna, pariete, vel muro sustinere vulgò
237 die *Burd* oder *Lastrigung der Gebäud.* §. præ-
diorum 1. Instit. de Servitut. Eaque Servit-
us à regulari Servitutum proprietate dege-
nerat in hoc, quòd dominus prædii servientis
teneatur aliquid facere, columnam scilicet,
morum, aut parietem, cui nostrarum ædium
onus innitur, suis sumptibus reficere l. cum de-
238 bere 35. ff. de S. P. U. quàmquam pro eo tem-
pore, quòd refectio columnæ, parietis, aut muri
curatur, dominus prædii dominantis ædifi-
cium suum fulcire obstringatur l. sicut autem 8.
in pr. ff. Si Servitus vindicte.
- 239 II. est Servitus tigni immittendi, quâ quis in
vicini parietem vel murum tignum aut tra-
bem immittere potest, ut ibi requiescat, vulgò
das *Traum* Recht §. prædiorum 1. Instit. de Ser-
240 vitut. Inter hanc & priorem Servitutem
quamvis sit discrepantia? Inquiretur anxie à
DD. apud Manzium de Servitut. tit. 2. quæst. 10.
à num. 41. Videtur autem Servitus oneris
ferendi à Servitute tigni immittendi sufficien-
ter discrepare, quòd illa præcisè respiciat sul-
turam ædium nostrarum d. §. prædiorum 1. In-
241 stit. de Servitut. præd. ista præprimis intendat
utilitatem parietis aut muri vicini, ut v. g. in-
ter meas & vicinas ædes liceat porticum am-
bulatorium extruere, & super vicinum pariete-
m aut murum columnas struere, ad re-
ctum illius porticus sustinendum, superim-
ponere l. sicut autem 8. ff. Si Servitus vindicte.
Stryck ad usum mod. pand. ad tit. de S. P. U.
§. 3.
- 242 III. est Servitus altius tollendi, vi cuius nobis
est licitum, ædes nostras, quousque libuerit,
in altum cum intenta utilitate evehere l. ur-
banorum 2. ff. de S. P. U. vulgò das *Hau* oder
243 *Gebäu* Recht. Tamen enim cuilibet in
fundo vel area sua liceat in cœlum usque pro-
tendere ædificium l. cuius ædificium 24. ff. d. r.
etiam cum incommodo vicini l. cum eo 9. ff. d. r.
l. fœminum 24. §. fin. ff. de Damno inf. Rota Ro-
mana in rec. p. 5. dec. 587. 596. 599. & 611.
Cardin. de Luca de Servitut. disc. 2. n. 2. & 9.
244 dummodò ventum ab area vicini, purgandis
seu triturandis frugibus destinata, non exclu-
dat l. ult. §. ult. Cod. de Servitut. aut ex sola æmu-
latione, invidia, vel malevolentia non stimu-
letur ad ædificandum per l. opus 3. in pr. ff. de
Operib. publ. l. in fundo 38. ff. de R. V. de Luca cit.
l. n. 11. & seqq. Manzius cit. l. num. 58. & 63.
- 245 Nihilominus, quia vicinus eadem ædificandi
libertate gaudet, opus est Servitute, quâ mihi,
non alteri, cum intenta utilitate liceat ædes
246 meas attollere. D. Franz cit. l. n. 14. Quòd
si libertas ædificandi per Legem publicam aut
statutum fuerit restricta, non poterit quidem
Servitus altius tollendi privatorum conve-
ntione constitui, quando Lex illa vel statutum
immediatè respicit favorem, decorem, &
splendorem publicum, cui conciliando certa
& equalis ædium forma ac norma maximo pe-
247 rere servit: si tamen Lex aut statutum imme-
diatè respiciat commodum & utilitatem pri-
vatorum, horum consensu possiet utique Ser-

vitus altius tollendi comparari, eaque neuti-
quam Servitutem altius non-tollendi ex ne-
cessitate comprehenderet: cum ædes meas
248 cum intenta utilitate possim attollere, si so-
lam cœnaculorum multiplicationem pro fine
habeam, nullis à latere desideratis luminibus,
absque eo, quòd vicinus prohibeatur altius
tollere: quippe qui altius ædificandò non
tam oberit quàm proderit intentioni & utili-
tati meæ. Stryck cit. loc. §. 8. Ex quo ul-
249 terius patet, Servitutem altius tollendi di-
stinctam esse à Servitute altius non-tollendi,
vi cuius vicinus ædes suas in gratiam mei te-
nere habere deprellas: cum una possit ab
altera separari non tantùm speculative & in
actu signato, sed etiam practice & in actu
exercito.

IV. est Servitus luminum, quâ vicinus no-
250 ster obligatur pati, ut per fenestram, in pro-
prio vel communi pariete apertam, lumen
ædibus nostris illabatur. l. luminum 4. ff. de
S. P. U. vulgò das *Recht* Recht. Quamquam
enim hæc quoque facultas resultat ex domi-
nio, ratione cuius per apertam fenestram in
suo pariete lumen solis excipere licet per
d. l. luminum 4. ff. de S. P. U. quia tamen vicini
no veritum non est, seu altius ædificandò, seu
quid aliud in suo ponendò, lumina mea obscu-
rari, si modò lucis usuram, quatenus ad usum
ædium est necessaria, penitus non inrecipiat
l. Gavrus 10. ff. d. r. l. si 30. in fin. ff. de Usufr.
& affectus invidia vel malicia exulet arg. di-
ctorum in num. 244. Cardin. de Luca de Ser-
vitut. disc. 4. n. 9. Manz. cit. l. n. 59. 60. & 63. 252
hinc dominus de Servitute sibi prospicere de-
bet, quâ vicinus obligetur, ea non facere, quæ
lumina nostra vitare vel obscurare valent.
Stryck cit. loco §. 11. qui Author eapropter
253 judicat, Servitutem luminum habere sibi con-
iunctam Servitutem, ne luminibus officiat,
dasi man einem nicht darff das *Recht* oder *Fenster*
verbauen: qui enim concedit, ut fenestras
in meo pariete faciam, ille simul promittit
tacitè, se has non obscuraturum, non tantùm
quoad sufficientiam sed etiam augmentum
luminis: alias quod una manu concederet,
auferret alterâ. Sed quia in l. luminum 4. 254
& l. si Servituti 23. in princ. ff. de S. P. U. ap-
erta sit distinctio inter Servitutem luminis, &
ne luminibus officiat: crederem, Servitu-
tem posteriorem plus utilitatis continere,
quàm priorem; nec tantùm de sufficientia
luminis presentis sed etiam de illius abundan-
tia in futurum constitutam censeri.

Pertinet huc quoque Servitus, *lumina vel 255*
fenestras non habendi, quâ libertas, domino
competens, circumscriptur, ut in gratiam &
commodum nostrum nequeat in suo pariete
fenestras aperire. De Luca cit. l. disc. 3. per rot.
Manz. cit. l. n. 123. Stryck §. 15.

V. est Servitus prospectus seu prospiciendi, per 256
quam vicinus pati obstringitur, ut possim ex
meo cum intenta utilitate prospicere in ipsius
hortum, campum, aream, sicque nil potest
opponere, quod prospectum impediatur. al-
ter

ter atque in Servitute luminum, ubi vicinus solum obligatur, id omittitur, per quod lumina reddat obscuriora, licet de cetero libertas prospectus in hortum, aream &c. impediatur. *l. lumen 16. ff. de S. P. U.* Interim adhuc pinguior censetur Servitus, ne prospectus officiat: hanc quippe vicinus obligatur, ea omnia pratermittere, quæ libero prospectui undeque possunt obitare; cum tamen in Servitute prospectus plerumque tantum obligetur, ne officiat prospectui quoad certum locum, pratum, hortum &c. *l. inter Servitutes 15. ff. d. 1. Manz. cit. l. n. 120. & seq. Stryck d. l. §. 17.*

258 VI. est Servitus *stillicidii tum avertendi*, quæ vicinus pati tenetur, ut stillicidium meum, seu aquas pluvias, è cælo cadentes, in ipsius aream avertant; quàm non avertendi, quæ vicinus sustinere debet, ut stillicidium seu aquam pluviam, ex ipsius ædibus aut fundo collectam, in meum derivare possim, germanicè

259 das Trauprecht. Hæcque ultima Servitutis species nequaquam videri debet inutilis: quandoquidem in locis non paucis, in quibus est aquarum penuria, aqua pluvialis adhiberi solet ad irrigandos hortos, imple-

260 das cisternas, eluendas fordes &c. Ut proinde non leve sit incommodum domino, si non possit ipsemet aquam pluviatilem excipere, sed illam in usus vicini derivandam tolerare debeat. *Stryck cit. l. §. 4. D. Franz cit.*

261 *tit. Instit. num. 20.* Eiusdem naturæ est Servitus *fluminis avertendi vel non avertendi*; ut pote quæ à Servitute stillicidii tantum in eo differt, quòd in stillicidio guttatim aqua ca-

dat, & in flumine cum impetu arg. *l. Servitutes 20. §. 5. verb. quia sit gravior Servitus, id est, per stillicidium flumen ff. de S. P. U. Manz. d. l. q. 50. num. 1. 57.*

VII. est Servitus *cloaca*, quæ vicinus patitur, ut ædium nostrarum fordes per fistulam, tubum, aut meatum subterraneum in aream aut fundum ipsius evehantur; Servitus *proiciendi vel prætergendi*, quæ licet super alienam aream habere rectum, prætorium, suggrundia, vulgò Ercker/ Aufgebäu/ Für/ Dächer/ Wetter-Dächer. Servitus *sumi*, quæ sumum (intellige gravem & insolitum) licet ex inferiori ædium parte ad superiore, vel in ædes vicinas irmittere. *l. fens 8. §. 5. & penult. ff. Si Servit. vindic. l. penult. ff. de Injur.*

Alia Servitutum urbanarum species videri possunt apud Authores citatos. Id unicuique generatim notandum volo, quòd in num. 244. specialiter de iure altius ædificandi notatum est, nempe non licere cuiquam in suo quid facere ad emulationem alterius, ex quo faciens nullam utilitatem percipit, alter vero præjudicium patitur: nam ex æquissimo Juris Naturalis principio, in *l. in summa 2. §. 5. ff. de Aqua & aquapluvi. recepto*, quòd tibi non prodest, & alteri nocet, hoc ut omittas, compelli poteris. *Stryck cit. l. §. ult.* Quæ ratio ne defendi potest, quòd personæ Regulares altius in suo ædificare, vel Laicos Vicinos impedire possint, ut altius non ædificent, aut fenestras non aperiant, ad evitanda scandala, quæ forsitan ex inspectioe activa vel passiva sequuntur. *Cardin. de Luca de Servit. dist. 1. n. ult. item dist. 18. & seqq. per tot.*

§. IV.

De Servitutibus Rusticis.

264 EX classe Servitutum, quæ Rusticis præditis frequentius debentur: est I. Servitus *itineris*, via, & *alibi*. Servitus *itineris* est jus eundi vel ambulandi per alienum prædium ad nostrum, germanicè *Fuß/ Steig/ Fuß/ Pfad*.

265 *Alibi* est jus agendi jumentum vel vehiculum per prædium alienum ad nostrum, germanicè *der Trib*. Via est jus eundi, ambulandi, agendi, ducendi, vehendi, trahendi vehiculum aut jumentum per alienum prædium ad nostrum germanicè ein *Fuhr/ oder Fuhr/ Weeg* &c. Textus in *pr. Instit. de Servit. prætor. rusticor.* Hinc Servitus via continet

266 actum & iter; & Servitus actus iter quoque comprehendit *d. pr. Inst.* una tamen ab altera nihilominus formaliter distinguitur: quia, qui iter duntaxat habet, nec agere nec vehere potest; qui actum habet, potest quidem ire & agere, sed non vehere *d. pr. Instit. l. Servitutes 1. in pr. ff. de S. P. R.* Quin etiam Servitus actus sic constituitur, ut ire non liceat separatim à jumento vel vehiculo; & consequenter ut actui non insit iter per se, sed tantum in consequentiam *l. loci corpus 4. §. 1. ff. Si Servit. vindic.* *Cæpolla de Servit. tract. 2.*

cap. 2. num. 2. Idque constituenti potest commodum esse, cum sæpius occurrat necessitas eundi seorsim, quàm conjunctim cum vehiculo vel jumento. *Clariss. D. Franz ad cit. tit. Instit. n. 25.*

Neque dicas I. actum itineri quoque connequum esse, dum, qui jus eundi obtinet, etiam equitare vel sella aut lectica portari potest *l. qui sella 7. in pr. l. inter actum 12. ff. de S. P. R.* Nam equitare, vel sella aut lectica portari, idem videtur acire: cum neque qui equitat, neque qui portatur lectica, majus infumet spatium, quàm qui pedes comeat: neque enim in lectica jumentum jumento, vel equus equo transversum jungitur, sed equus equo, jumentum jumento succedit, unò præunte, alterò sequente. *Manz. de Servit. tit. 3. §. 5. n. 30. & seqq.* Et idè, qui solum iter obtinet, non potest per lectica sumere curucam, effedum, pilentum, aut vehiculum cum rotis, sive sit quadriga, quatuor rotis instructa, sive biga, duabus tantummodò rotis adornata, es sepe eine Chaise mit 4. Rädern/ oder eine Chaise Roulante mit zwey Rädern/ und nur einem Pferd, *Stryck in Usus mod. pand. ad tit.*

267 *tit. de S. P. R. §. 3.* quia per rotas terram amplius experimr sulcari & conteri, quàm per pedes hominum aut equorum.

273 Neque dicas II. saltem actui viam ineffe: cum actus denotet facultatem agendi jumentum aut vehiculum; sicut comprehendat

274 jus vehendi. Præterquam enim quòd actus non contineat necessariò facultatem agendi vehiculum, sed possit ea facultas, salva illius substantià, per speciale pactum separari per *l. si tam angustis 13. ff. de Servit. Harp.*

275 *precht ad princ. Instit. eod. n. 58.* Insuper qui viam habet, non solum per plaustra lapides & ligna vehere, sed etiam sine plaustris per fundum trahere raptareve potest; cum tamen, qui actum habet, solummodò per plaustra vehere permittatur *l. qui sella 7. in pr. ff. de*

276 *S. P. R.* Deinde latitudo viae determinationem à Jure sortitur, ut in porrectum §. 8. debet, & in anfractum 16. pateat *l. via latitudo 8. ff. d. 1. actus latitudo determinationem accipit vel à constituto, vel ab arbitratore l. certo ge-*

277 *neri 13. §. 2. ff. eod.* Demum habenti viam conceditur licentia, *basium rectam ferendi d. l. qui sella 7. in pr. feu*, quod in explicatione veriori juxta *Gothofred. ad d. l. l. e. & Stryckium cit. l. §. 1. idem est*, ac licentia petendi, ut in via versus coelum tantum spatium relinquatur liberum, quantum est necessarium, ut hasta feratur erecta, seu ut vehiculum, ad haste sublimitatem oneratum, transire valeat; & hinc etiam arborum rami, si qui obstant, reseccari possint, dummodò parcat arboribus frugiferis *d. l. si sella in fine pr. in verb. modo fructus non ledat &c.*

278 II. est Servitus *aquaductus*, die *Wasserleitung/ Gerechtigkeit*; quæ constituitur jus aquam ducendi per vicini fundum ad nostrum, non tantum ex stagno vel fonte privato (quòd casu duplex intervenit Servitus, una, quæ ducitur aqua ex alieno; altera, quæ ducitur per

279 alienum) sed etiam ex flumine, stagno, vel fonte publico, ex quo Jure Communi cuivis equidem aquam ducere concessum est *l. quò minus 2. l. flumina 3. in princ. ff. de Flumin.* sed citra offendiculum viae vel utilitatis publicæ per *l. si autem 10. §. 2. l. fin 18. §. un. ff. de Aqua, & aqua pluvi.* aut citra injuriam alterius hominis privati *l. Imperatores 17. ff. de S. P. R.* hoc est, sine derivatione per fundum alterius. *Vid. Manz. cit. tit. 3. à num. 139.*

280 III. est Servitus *pascendi*, seu jus pascendi pecora in fundo alieno §. *inter rusticorum 2. Instit. de Servit. prætor. germanicè der Zutrib/*

281 *Weggang/ Hut und Weide.* Et quidem, si specialiter in constitutione Servitutis de certo genere vel numero pecorum actum sit, non alia vel plura, quàm nominata, sunt in fundum alienum ex causa pascuorum immitti arg. *l. certo generi 13. in pr. ff. de S. P. R.*

282 Sin neque genus expressum sit, neque numerus, tunc possunt omnis generis pecora, dummodò morbola non sint, sine numero mitti ad pascua arg. *l. si Servitus 23. in pr. ff. de S. P. U.* Nisi ex statutis, consuetudine, vel usu patrisfamilias

283 *P. SCHMIEB JURISPR. CAN. CIV. TOM. II.*

millas aliud possit colligi. *Manz. d. tit. n. 292. & seqq. Cæpolla de Servit. tract. 2. cap. 9. n. 18. & 20.* aut constitutus nimium detrimentum ex certo genere vel nimio pecorum numero patiatur. *Stryck cit. l. §. 11. & 13.*

284 test tamen & ipse, qui Servitum pascendi concedit, sua pecora ibidem pascere, si pascua tam propriis quàm alienis sufficiant arg. *l. venditor 13. §. 1. ff. Communia prætor. l. præf. 6. Cod. de Servit.* At, si pascua non sufficiant

285 utriusque domini pecoribus, tunc utique potior erit causa domini prædii dominantis, quàm servientis: utpote cum perinde in Servitutibus ac contractibus nequeat quis rem propriam in usus illos accomodare, quos cuidam alteri concessit per *l. certo generi 13. §. 1. ff. de S. P. R. l. labeo 2. ff. de Rer. Struv. exercit. 13. ib. 26.* & ibi *Miller l. n. D. Franz ad Instit. cit. tit. num. 30. Stryck cit. l. §. 15.*

286 Interim quia nonnulli cum *Brunnem ad cit. l. 285 venditor 13. ff. Communia prætor. n. 5. Lauterbach ad ff. de S. P. R. §. 9. dominum prædii servientis præferunt*: idè suadet *Stryck*, ut, qui pascendi Servitum acquirere cupit, expressò pactò sibi consulat, ne Servitus excludatur cum tempore, si pascua utriusque domini pecoribus non amplius sufficiant.

287 Similis est Servitus *compascui*, die *Koppels/ oder Mit-Weide*; quando inter vicinos non ex jure familiaritatis (hoc enim adversum est Servituti arg. *l. qui jure 21. ff. de A. vel A. P.*) sed jure conventionis cuilibet ex vicinis licitum est, sua pecora in alterius vicino fundo pascere: nec enim unus alterum in actualis pascuarum exercitio prohibere; nec etiam, si juri suo renuntiare velit, alterum ad renuntiationem compellere potest. *Stryck cit. loc. §. 15. in fin.*

288 IV. est Servitus *aqua hausus*, die *Wasser/ schöpfungs/ Gerechtigkeit*; per quam licet alicui haurire aquam ex alieno fonte §. *inter rusticorum 2. Instit. de Servit.* Servitus pecoris ad aquam impulsus, quæ licet appellere pecora ad fontem vel aquam vicini *d. §. rusticorum 2.* Servitus calcis coquenda, quæ licitum est, in alieno fundo calcem parare vel coquere *d. §. Servitus arenas fodienda*, quæ licet arenam in alieno fodere *d. §. Servitus excutiendi frumentum, cogendi vel colligendi fructus, collocandi vel secandi ligna &c.* in area vel fundo alieno *l. item sic 9. §. 1. l. veluti 6. §. 1. ff. de S. P. R. l. Mela 14. §. ult. ff. de Aliment. legat. de quibus & aliis largiore manu differit *Manz. cit. l. à num. 324. & Cæpolla de Servit. tract. 2. per tot.**

289 Quares non absre: num jus arcendi aquam pluviam; ex agro vicini decurrentem ad meum, sit Servitus?

290 Resp. quòd sic: quia, si aqua pluvia v. g. ex agro alterius superiore ad meum inferiorem naturaliter defuat, teneor hoc pati, nec possum impedire factum, quòd provenit ex dispositione naturæ *l. si cni 1. §. 1. 14. & 22. ff. de Aqua & aqua pluvi. arc.* nam incommodum, quòd sustineo, compenfatur rursus etum aliò commodo, dum ex agro superiore pinguedi-